

IN LIBRUM SECUNDUM

EPI TOMA.

FRanciscus Sforcia Picœnum agrum & Umbriæ partem occupavit : Eugenius Pontifex ex urbe pulsus est : Omnes Sforcianæ & Brachianæ copię in Vetrallensi agro pene conflixere : Bellum a Picinino in Sabinia propemodum est reparatum : Picininus sociales copias ad Himulam ingenti clade superavit : Marsilius Carrarius capitali supplicio est a Venetis affectus : Genuenses Alphonsum Regem navali prælio ad Cajetam vicerunt : Genua a Philippo defecit : Luca gravi obsidione a Florentinis pressa est : Constantinus Paleologus Imperator & multi Christiani nominis Antistites Ferrariam de re Christiana cum Pontifice acturi convenere : Venetæ copię ad Abduam pene interceptæ sunt : Cosmus Medices Venetias publico nomine est missus : Sforcia & Picinini circa Alpes expeditiones : Sforcia cum Philippo & Florentinis fœdus percussit : Picininus multa in Bergomati & Brixien- si agro loca Venetis ademit : Benaci lacus descriptio : In Camonica Valle a Venetis prospere pugnatum est.